



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Decimatertia Post Trinitatis, Evangelivm, Luc. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**



## DOMINICA DVODECIMA

ut tollat hæc mala, dat Euangelium, & ostendit ueram Dei noticiam, quam deinde sequuntur inuocatio, confessio & reliqui cultus.

SEXto. Nec solum dat uerbum Christus, ut cæteri Prophetae, sed ipse admouet manus, ut testetur se efficacem esse, & non ociosum. Talis enim liberator est, ut ipse uerè nobiscum agat, det dona petentibus, depellat Diabolum. sicut inquit Iohannes: Christus uenit, ut destruat opera Diaboli. Sicut hæc ipsa miracula in genere testimonia sunt promissionum, quod ita uerè uelit nobiscum agere, iuxta suas promissiones, sicut cum illis agit, quos liberat in his miraculis. Sed tanta est surditas humanæ mentis, ut etiam sancti uix obscure hæc audiant, infirmiter assentiantur. Petamus igitur à Christo, ut & nobis aperiat aures, & os, ut credamus eum uerè affici cura nostræ salutis, uerè ingemiscere misericordia nostræ infirmitatis, & ut hæc fiducia ipsum inuocemus, & eius beneficium celebremus nostra confessione.

## DOMINICA DECIMATERTIA POST TRINITATIS, EVANGELIUM,

LUC. X.

ET con-



POST TRINITATIS. 66.

**E**T cōuersus ad discipulos seorsim,  
dixit: Beati oculi qui uident, quæ  
uos uideris, Dico enim uobis, q̄ multi  
Prophetæ & Reges uoluerunt uidere,  
quæ uos uideris, & non uiderunt & au-  
dire, quæ auditis, & non audierunt.

Et ecce quidam legisperitus surre-  
xit, tentans illum, & dicens: Magister,  
quid faciendo, uitam æternam hæredi-  
tabo? At ille dixit ad eum: In lege quid  
scriptum est, quomodo legis? Respon-  
dens autem, dixit: Diliges Dominum  
Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex  
tota anima tua, & ex omnibus uiribus  
tuis, & ex tota mēte tua. & proximum  
tuum sicut teipsum, Dixit autem illi: re-  
cte respondisti, hoc fac, & uiues. Ille au-  
tem uolens iustificare seipsum, dixit ad  
Ihesum: Et quis est meus proximus?

Respondens autem Iesus dixit: Ho-  
mo quidam descendebat ab Ierusalem  
in Iericho, & incidit in latrones, qui  
etiam despoliauerunt eum, & plagis ad-

i ij ditis



## DOMINICA DECIMATERTIA

ditis abierunt semimortuo relicto. casu autem Sacerdos quidam descendit eadem uia, & uiso illo prateriuit. Similiter & Leuita cum uenisset secus locum, et uideret eum, pertransiuit, Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidens eum, misericordia motus est. Et accedens, alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum. Et imponens illum in iumentum suum, duxit eum in hospitium, & curam eius egit. Et altera die egrediens, protulit duos denarios, & dedit hospiti, & ait illi: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Ait ergo illi Ihesus: Vade, & tu fac similiter.

QUATVOR SVNT

*præcipui loci.*

I. LOCUS



# POST TRINITATIS. 67.

- I. Locus est doctrina de fide.
- II. Doctrina Legis.
- III. Definitio proximi.
- IIII. Allegoria exempli.

## DE PRIMO.

**C**omplectenda est proxima contio: Omnia mihi data sunt à patre meo, & nemo nouit, quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Huic contioni addit Epiphonema: Beati oculi &c. Hec tota contio primum proponit doctrinam propriam Euangelij de fide. Christus clare dicit, patrem à nemine agnosci, nisi reuelante filio, ergo nisi reuelante filio, impossibile est Legem facere. Et sic respondetur ad obiectionem, quæ postea sequitur, cum fit mentio Legis: Hoc fac, & uiues. His uerbis addenda est altera contio: Non satis est audire Legem. sed filius audiendus est reuelans patrem, hoc est, uoluntatem patris de filio, non tantum de Lege, sed cognoscenda est uoluntas patris, cur filium miserit, quid ei tradiderit, scilicet potentiam liberandi genus humanum à peccato & à morte, danda uitæ æternæ. Hec contio de fide præponitur disputationi de Lege, ut fide apprehendamus beneficia filij Dei. Postea cum agnouimus patrem per filium, sequatur obedi-

*Latinus*  
*Acclamatio,*  
*Qui regnabit*  
*Dei filium, edm*  
*Dei spiritus uerit*  
*Dei uoluntas,*  
*edm regnabit*  
*Gaudet.*

i    iij    tia



## DOMINICA DECIMATERTIA

tia Legis, quæ placebit propter filium, quanquam sit imperfecta.

### DE SECVNDDO.

**P**hariseo non discendi, sed tentandi causa interroganti, ostendit Christus, inanem ipsius arrogantiam, ut agnoscat peccatum. Et fortassis hic hypocrita fuit unus ex illis ipsis, qui præterierunt sauciū, de quibus hic in exemplo dicitur. Iusserat autem Christus interrogantem consulere scripturam, deducit eum ad uerbum, sed Pharisæus nihil scit nisi Legem, promissiones negligit, & allegat Legem non intellectam. Christus addit, ut eius ignorantiam taxet. hoc fac & uiues, significat enim eum nec facere Legem, nec uicturum esse, sed oppressum esse peccato & morte, Est enim sententia: Si faceres, uiueres. Sed nec tu facis, nec alij, ergo uita aliunde petenda est. Verum est dictum: Faciens Legem uiuet. Si non esset peccatum, mors non esset. Ita coarguit Pharisæum, quod nesciat quid sit Lex, quid peccatum, quid mors, quæ est quoddam terribile malum ortum à peccato, & non tollitur Lege, quia Lex non fit in natura humana oppressa peccato. Hæc tota disputatio prorsus similis est disputationibus horum temporum. Litigamus cum aduersarijs, qui sunt fascinati Philosophicis opinionibus de Lege, nesciunt quid sit peccatum, quid sit mors.

### DE TER



POST TRINITATIS. 68.

DE TERTIO.

**P**roximus nobis est miser indigens beneficio nostro, & præsertim is, qui coniunctus est societate nominis Dei, qui est membrum populi Dei. Ita hic dicit saucium iudicatum esse proximum à Samaritano. Econtra caro ducit proximos florentes & potentes, fugit miseros. Sicut uenustissimè dicit Menander: *Fortuna uarie pingit amicos.* Sed hoc exemplum docet, nos debere complecti miseros, tanquam proximos. Ceterum hæc debent esse mutua, gratitudo & beneficentia. Hæc est summa exempli, in quo false reprehenduntur illi, qui iactabant iusticiam Legis, ut sacerdotes & leuitæ, & tamen ueris operibus uiuerebantur à Samaritano.

DE QUARTO.

**C**hristus recte respondit Phariseo, pingens magnitudinem peccati, & significans peccatum non tolli ministerio Legis. sed alio quodam modo. Saucius significat totum genus humanum, quod est spoliatum donis spiritualibus, quæ habuit initio, & uulneratum, multipliciter deprauatum & distortum ignoracione Dei, contemptu Dei. Sunt & nature uires corruptæ, & accessit mors. Et hæc ipsa uulnera longe maiora sunt, quàm iudicare ratio potest. Sicut enim

i      iiij      magnitudo



## DOMINICA DECIMATERTIA

magnitudinem iræ Dei non intelligimus aduersus peccatum, ita nec peccatum nec mortem satis intelligimus. Sacerdos & leuita prætereunt hunc faucium, faucius non iuuatur ministerio Legis, peccatum & mors non tolluntur per Legem. sed uenit Samaritanus, Christus, reiectus à populo Legis. Hic obligat uulnera, infundit uinum, id est, predicationem poenitentiae, & oleum, id est, Euangelium & Spiritum sanctum, quo inchoatur uita aeterna, & imponit eum suo iumento, id est, seu corpori, seu ministerio, & commendat Ecclesie, & dat ministro duos denarios, id est, predicationem Legis & Euangelij, & addit: Si quid supererogaueris, soluam, quasi diceret: accedent labores, pericula, inopia consilij, in his omnibus adero, & iuuabo te.

In hac imagine ostendit, quomodo sanemur, scilicet à Christo per ministerium Euangelij. Hic nugantur de operibus supererogationis, quasi allegoria significat priuata opera non mandata à Deo, cum significet opera, quæ requirit curatio, quæ sunt diuinitus mandata. Talium operum, hoc est, laborum, periculorum, & certaminum, mentio fit, in quibus significat se ad futurum esse, suppeditaturum sumptus, quia assidue opus est in gubernatione diuino auxilio. Incidunt enim infinita, ubi nostra consilia, nostræ uires, magnitudine periculorum



POST TRINITATIS. 69.

lorum superantur, ubi precandum est ut dicitur  
2. Paralipo. 20. Cum ignoramus quid age-  
re debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos  
nostros dirigamus ad te.

*In tenebris nostræ & densa caligine mentis.*

*Cum nihil est toto pectore consilij.*

*Turbati, erigimus Deus ad te lumina cordis.*

*Nostra, tuamq; fides solius orat opem*

*Tu rege consilij actus pater optime nostros.*

*Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.*

DOMINICA DECIMAQVARTA  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIVM,  
Luc. XVII.

**E**T factum est, dum iret in Ierusa-  
lem, & ipse transibat per mediam  
Samariam & Galilæam, Et cum ingre-  
deretur quoddam castellum, occurre-  
runt ei decem uiri leprosi, qui steterunt  
a longe, & ipsi leuauerunt uocem,  
dicentes: Ihesu præceptor, miserere no-  
stri: Et cum uidisset, dixit eis: Ite, osten-  
dite uos ipsos sacerdotibus. Et factum  
est,